

bus metropolitanae ecclesiae Spalati paret.<sup>20</sup> Anno vero 1022 ipsius quoque episcopus a Benedicto VIII pallio donatur, ecclesiaque ragusina demum vertente saeculo XI ut metropolitana ab omnibus agnoscitur<sup>21</sup> et ut talis usque ad a. 1828, perstitit, quo quidem anno ad honorem simplicis dioecesis reducitur atque metropolitanae ecclesiae de Jadera subicitur.<sup>22</sup> *Nonensis* denique dioecesis secundum historiae peritorum opiniones primis decenniis saeculi noni<sup>23</sup> vel inter annos 874—867 erecta fuit.<sup>24</sup> Anno vero 925/28 suppressa atque iterum a. 1075 restituta<sup>25</sup> usque ad a. 1828 in vita inter tristissimas calamitates imanitatis Othomanorum perseveravit, quo quidem anno extincta ejusque territorium archidioecesi Jadrensi unitum fuit.<sup>26</sup> Jurisdicatio hujus episcopi usque ad dioecesis suppressionem a. 925/28 toto territorio Status Croatorum extendebatur, Ipse quoque secundum Perojević opinionem titulo »episcopus chroatensis« et dignitate inter primates regni insignitus erat; sed hic titulus cum institutione specialis episcopi Croatorum, qui et munere cancelarii aulae regiae fungebatur, a Barada ponitur initiis saeculi XI.<sup>27</sup>

In synodis provincialibus Spalati 925 et 928 habitis, quorum primo etiam rex Croatiae Thomislav cum duce Zachlumiae Mihaële Višević intererant, introducta est in Croatia reorganizatio ecclesiae more aliarum nationum Occidentis. Ecclesia nempe spalatensis, ut legitimus successor olim Salonitanae, facta est metropolis totius Croatiae et

<sup>20</sup> Farlati, VI, 37; Šišić, o. c. 269.

<sup>21</sup> Šišić, o. c. 269—270.

<sup>22</sup> Bianchi, o. c. 514.

<sup>23</sup> Perojević M., Ninski biskup u povijesti hrvatskoga naroda, Izdanje Matica Hrvatske, Zagreb 1939, 29.

<sup>24</sup> Barada, o. c. 181.

<sup>25</sup> Šišić, Priručnik, 222—224; Idem, Povijest Hrvata, 552.

<sup>26</sup> Bianchi, o. c. 513—514.

<sup>27</sup> De titulo »episcopus chroatensis«, deque tempore ejus creationis, se de talis episcopi, privilegiis, jurisdictione atque extinctione vide Barada M., Episcopus Chroatensis, in Croatia Sacra, 2 (1931), 161—215; Perojević M., o. c. 26 ss. et quasi totum opus. Criticam sententiae Perojeviće apud Dr. I. Guberina, Problemi hrvatske povijesti, in Hrvatska Smotra, VIII (1940) 196 ss.